

Johann Joachim Gotthard Sturm

Commentatio Jvridica De Eo, Qvod Jvstvm Est Circa Anatomiam

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1753]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002511674>


Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1753

Sturm, Joh. Joach. Gotth.





J. N. J.
COMMENTATIO JURIDICA
DE
EO, QVOD IVSTVM EST CIRCA
ANATOMIAM.

22

QVAM
VIRO
MAGNIFICO, ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
DOMINO
GEORG. CHRISTOPH.
DETHARDING,

FACVLT. MED. ET COLLEG. DVICAL. PROFESS. SENIORI
GRAVISSIMO,
SERENISSIM. DVC. MEGAPOL. CONSILIAR. AVL.
CLARISSIMO,
FAVTO RI AC PATRONO SVO
AD CINERES VSQVE DEVENERANDO.

CVM
SCEPTRA ACADEMICA
TOTIVS ACADEMIÆ VARNIACÆ APPLAVSV SOLEMNI
RITV INITIO ÆSTIVI SEMESTRIS A. 1753.
ACCIPERET
IN GRATI SVI ANIMI SIGNVM
DICAT ATQVE CONSECRAT
CELEBERRIMI EJVS NOMINIS
SVBIECTISSIMVS CVLTOR
JOAN JOACHIM GOTTHARD STVRM, L. L. C.
ROSTOCHII, LITTERIS ADLERIANIS.

139

1753

CICERO *in Orator.* p. 351. *Lit. G.*

Me saepe nova videri dicere intelligo, cum per-
vetera dicam, sed inaudita plerisque.

V I R O
MAGNIFICO ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO
D O M I N O

DN. GEORG. CHRISTOPH.
DETHARDING,

PATRONO AC FAVTORI SVO AD CINERES
VSQVE DEVENERANDO

SCEPTRA ACADEMICA

QVARTA JAM VICE ACCIPIENDA

FAVSTA QVÆVIS APPRECATVR

AVTOR.

Non hujus loci consuetudo, qua in certis status com-
mutationibus Patronis, Fautoribus, ac Ami-
cis scribi aliquid ab iis solet, qui animi observantiam
testandi iis flagrant cupiditate, quanta quanta sit, esse tanta
potuit, ut sola me *Tibi Vir Magnifice, Experientissime, Pa-
trone Maxime*, hancce Meditationem offerre impulerit.

A 2

Non

Non me impulit ficta atque simulata quædam *Tibi* jam
fausta apprecandi aviditas, non detestabilis quædam ani-
mi abjectio blanditiis mihi *Tuum* conciliandi Favorem.
Impulsus vero ego sum, O si cordis faciem perspicere
liceret! interna quadam lætitia jam *Te* fasces Academi-
cos tenentem videndi, impulsus sum atque potissimum
sanctis sincerisque incitamentis *Tibi* gratum meum ani-
mum pro collatis in me beneficiis indicandi. Haud suf-
ficere namque mihi videbatur privatos inter parietes ore
solum quantum *Tibi* debeam, ac quam in *Te* devotissima
mens fit proferre, sed publice oblatam hanc mihi occa-
sionem eamque exoptatissimam prætermittere nolui, quo
minus animi in *Te* pietatem, quam non licet opprimere,
& literis exprimam. Certe *Vir Magnifice, Patrone summo-
pere colende*, cum elapso jam jam triennio, ad hanc Acade-
miam tanquam ad mercaturam bonarum artium Matre
optima orbatus tristitiarumque plenus venissem, Patre fi-
delissimo absente, Patrem *Te* statim hic, ubivis peregrinus
ani-

animo veneratus sum. Consulisti consiliis reque ipsa mihi quasi ita derelicto. Patuit hucusque mihi semper Clarissimæ Domus *Tuæ* aditus, imo & auditorium *Tuum* Homini ad cognitionem sui amoenissimam viam aperiens. Licuit mihi cum præstantissimis *Dominis Tuis Filiis* doctissimis humanissimis conversari, qua conversatione quid mihi dulcius poterit quidque suavius esse? Sed quid Ego ad digitum quasi enarrare valeo omnia beneficiorum genera a *Te* accepta? Hocce mihi suscipienti tempus & vires deficerent. Nec apud animum constitutum id fuit, sed solum ostendere quantum *Tibi* debeam. Idque moliens hæc de *Eo quod iustum est circa Anatomiam* meditationes, quas maximam partem doctis *Tuis* tribuo prælectionibus, consecratas *Tibi* esse volui. Nemo Lectorum igitur spero fore, ut tam sit iniquus, qui hanc *Tibi* congratulandi causam animo infesto possit improbare. Quod vero ipsam materiam concernens latius adhuc vel melius dici potuisset, id librorum pariter ac temporis inopiæ rogamus be-

nevolum lectorem ut tribuat. A Te vero *Vir Magnifice,*
Fautor Optime quam possum demississime atque subjectissi-
me peto, ut benevola mente hocce cordis grati signum
accipias, dum melius aliud quoddam offerendi mihi de-
tur facultas. Cæterum conservet Te Supremum Illud Nu-
men una cum *Tuis* salvum semper ac incolumem, sis lon-
ge adhuc superstes serusque in coelum redeas, augeantur
in dies vires tuæ, ut quo magis annis crescas, eo magis
crescant & vires. In totius demum hujus Academiae flo-
rem ac salutem spes, floreas, vigeas: me autem
commendatum porro *Tibi* habeas.

Vale!



Q. D.



Q. D. B. V.

DE
DE EO QVOD IVSTVM EST CIRCA
ANATOMIAM.

§. I.

INSTITVTI RATIO.

Ne falcem in alienam messem mittere videamur, primo Rubrum quid velit explicantes de proposito nostro dicturi sumus. Tantum absit ut quæ in Foro Medico de Anatomia disputantur, ea disputare, ut situm, structuram et usum Corporis humani partium in medium proferre velimus, ut potius paucis solum, quatenus Jcto quoque de Anatomia dicere liceat vel scribere, simus commentaturi Latissime certe patet Forum Judi-

Juridicum & Jurisprudencia nostra ut quoque ab ULPIANO L. 10. §. 2. D. de Just. & Jure definiatur quod sit: *Divinarum & humanarum rerum notitia, justī ac injusti scientia.* En amplissimum ejus campum! Quid quæso enim præter rerum divinarum & humanarum notitiam intellectui humano reliquum ad perscrutandum manet? Sed quantum quantum quoque optima hæc scientia pateat, est tamen limitibus inclusa. Comprehendit etenim potissimum ea sub se omnia, quæ vocari justa aut injusta possunt, indeque justī dicitur ac injusti scientia. Iusta ea omnia sunt, quæ juri alterius perfectō conveniunt *confer. III. DARJES. in Jurispr. Univers. §. 155.* Atque cum Leges civiles ad unam omnes perfectæ sint, forumque externum tantum spectent IDEM L. c. §. 797. sequitur, quod civiliter justum sit id, quod Legibus civilibus est conveniens. Quoties ergo de civiliter justo aut injusto moventur Quæstiones, sive humanas res respiciant sive divinas, toties Decisio erit a Jcto petenda. Vides hinc inde Dissertationes Juridicas de *Eo quod justum est circa sacram coenam de eo quod justum est circa Baptismum, circa Adiaphora, circa templa, circa mortuos, circa campanas & quæ sunt ejusmodi reliquæ.* Jam ergo absque periculo vel invidia scribere nobis licebit de *Eo quod justum est circa Anatomiam.* Atque ne ultra justī & injusti limites progrediamur, quasdam solum quæstiones, quæ circa Anatomiam ex Legibus civilibus dijudicari debent atque resolvi, proponemus. Tu vero Justissimum Numen fac ut coram Te & hominibus justī nomen semper affectem, cæterum omnia in Tuam Gloriam cedant.

§. II.

ANATOMIA QUID SIT, ET QUID DE ANATOMIA
BRVTORVM S. ZOOTOMIA DICENDVM.

Est vero Anatomia sive Anatome scientia, vel ut alii volunt ars, quæ docet situm, figuram, nexum Fabricam & usum partium Corporis humani. Corporis dixi humani, nam Brutorum Anatomia, quæ vulgo a Dn. Medicis Zootomia vocatur, jam
nos

nos non movet. Attamen, quoniam de hac insequentibus dicendi forsan locus non foret, sufficiat hic brevissimis inquirere, num circa eam quoque aliquid sit justum, quod ad nos pertinet. Bruta in hominum dominio esse, neminem hodie pernegaturum credo *conf. GROTII Jus B. & P. L. II. Cap. 21. §. 11 i. f. & LEDERVS in Diss. de Jure bestiali §. 13.* Jam de eo, quod in nostro est dominio pro arbitrio disponere possumus, sive eo utendi fruendi & abutendi jus habemus, DARJES. *in Jurispr. univers. §. 447.* modo non fiat in læsionem tertii. Ex quo efficitur, quod etiam disponere de brutis nostris pro arbitrio, absque tamen læsione Reip. vel tertii cujusdam, nobis licet. Quodsi ergo quis bestias suas ad mortem usque cruciare, mutilare, proque arbitrio trucidare velit, justumne erit? Respondeo utique tamdiu, quamdiu nullum omnino exinde incommodum vel detrimentum in tertium redundat; tunc enim Judex humanus, hæcenus qui siluit, se movet, v. g. si debitor de solvendo non amplius existens ita morte & dissecatione bestiarum oblectaretur in præjudicium Creditorum, e. s. p. Equidem PROV. 12, 10, legitur: *Der Gerechte erbarmet sich seines Viehes:* Sed nos hic loquimur de justo in Foro humano tali, justus enim hic esse potest, qui non est æquus & nullam exercet misericordiam. An vero æquum sit ejusmodi factum domini alia est quæstio. Nam in Foro interno omnino supremo judici de quolibet rerum suarum usu respondere tenetur, quin? ab eo illi solum usus bestiarum conceditur non abusus. Abuti autem bestiis dici potest, qui sine ulla causa animi tantum gratia eas occidit, cruciat, mutilat, vel contra naturam iis utitur. Ex hisce facile apparebit non solum Foro interno, sed & externo permiffum esse, salvo aliorum jure, bruta occidere vel dissecare, ut quandoque exinde in Anatomiis defectus cadaverum humanorum suppleatur, & quoniam magna est internis Corporis humani partibus cum aliis animalibus similitudo, Corpora humana inde accuratius quandoque cognoscantur. Non igitur iis hac ratione abutimur, sed ad nostram utilitatem potius ac usum, ad quem sunt comparata, utimur. Sed objicis, estne summus creaturæ

B

abusus

abusus Deoque maxime odiosus vivum brutum ita disseccare & cruciare? Respondeo minime, disseccantur enim viva & strangulantur non sine causa & magna utilitate, nimirum ut motus intestinorum, vasa Laëtea, Ductus Thoracicus, Systoles cordis ac Diastoles, & quæ sunt ejusmodi plura distincte videantur, quæ in humani cadaveris Anatomia ita videri haud possunt: ac deinde quoque ita strangulari solent vel ligari, ut mori statim debeant nullamque sensationem retineant. Cum vero ad nostram utilitatem nobis concessum sit in Bruta dominium, sequitur, quod si ex iis quocunque modo usum facimus, non iis abutamur. Sed relictis his quarimus, quid si quis alterius Domini bruta capit, captaque occidit & dissecat, sit justum. Nemo lædendus, & suum cuique tribuendum est. quæ sunt prima juris nostri principia in ratione fundata. Quod si ergo quis alterum in eo, quod est *res* suum turbat, eum lædit, & contra ejus jus perfectum agit, indeque ab hoc ad reparationem damni cogi potest. Hoc Legibus naturalibus consentaneum est, hoc leges civiles volunt hoc jubent. Fingas ergo Titium Sempronii canem vel aliam bestiam, invito illo & incio clam subduxisse, ut anatomice disseccaretur, jam vero Sempronius hoc detegens reparationem damni postulat, & quid justum hic esse putas? Furtum quidem vel rapinam Titius mea sententia non commisit, quoniam essentialis quædam utriusque pars, nimirum animus lucrificandi hic deficit. Non enim ad lucrum faciendum, cum statim occidatur, sive patrimonium suum augendum, sed ad alium quendam usum canem rapuit. Hinc nec ad poenam actione furti, nec ad rem restituendam tenebitur conditione furtiva vel actione vi bonorum raptorum. Attamen injuste egit in Foro Juridico, cum rem ex alterius possessione injuste subduxit, & ita spolium, commisit. Hinc spoliatus h. l. Sempronius contra Titium spolii actionem vel rei vindicatoriam instituere potest si adhuc vivit bestia, si jam occisa tenebitur ei Titius ad interesse, imo permittitur ei juramentum in litem *confer.* SETSERI celeb. *Tr. de Juramentis Lib. 5. Cap. 5. nr. 48.* quo, judice deferente aliquis rem, quam petit, æstimat, quæ dolo vel culpa alterius restitui non potest.

potest. BOEHM. *Jus Dig. Lib. 12. Tit. 3 §. 1.* Caterum quæri posset, num Studiosus, qui crebris brutorum anatomis exponit cameram conductam, hac eo ipso perverse utatur vel abutatur, atque ob hunc perversum rei usum a locatore expelli ante finitum tempus possit, quod alias hoc in casu cuivis locatori licet *L. 3. C. de locat. §. cond.* Sed ne effato nostro præstantissimis Dominis nostris Commilitonibus præjudicium inferre aliquod velle videamur, id ad dijudicandum relinquimus sapienti Judicis vel Rectoris Magnifici judicio. Hoc saltem pace Illorum contendimus, melius facere Studiosum si alio potius loco hanc Sectionem vel Anatomiam instituat, quam in ipsa Camera conducta, quæ ad hanc ob varias ejus incommoditates non facile solet a Domino locari. Sed hæc hæctenus. Persequi nos potius ea constituimus, quæ circa Corporis humani Anatomiam justa dici possunt.

§. III.

DE FINE ANATOMIÆ.

Finem Anatomie multiplicem esse posse jam ex eis, quæ §. antec. ab initio adduximus satis superque judicari poterit. Potissimum illa tendit tendereque debet, sicuti quævis mortalium actio ad Summi Numinis gloriam & majestatem. Quid enim quæso dignius homine esse potest, quid homini melius, quidque præstantius, ac ipsius hominis aliorumque animalium irrationalium contemplatio & perscrutatio? quid magis in nobis sanctam admirationem devotissimamque in sapientissimum Creatorem pietatem excitare valet quam ipsius Corporis nostri aliorumque animalium cognitio? En sanctissimum finem! Deinde etiam ideo instituuntur Anatomie, ut, cognita rite fabrica Corporis humani, melior sanitatis cura haberi possit, ut mortis violentæ vel suspectæ causæ innotescant, ut causæ morborum & mortis investigentur, & quæ sunt ejusmodi reliqua, *confer. III. HEISTERI Compendium Anatomicum §. 8. sq.* En fines utilissimos

MAGNAM EX ANATOMIIS CAPIT RESPVBL.
UTILITATEM.

Ex variis Anatomia finibus §. III. citatis luculentissime apparet ejus utilitas in Rempubl. redundans, quam illum solum credo negaturum esse, qui mente captus est aut in totum furiosus. Omitto enim illas utilitates saluberrimas, quas ex contemplatione & cognitione connexionis, structura, figura & usus partium Corporis humani capiunt cives, quæ fragilitatem corporis nostri & vitæ hujus, quæque Sapientissimi Creatoris existentiam & omnipotentiam docent satis atque comprobant, & ita improbos ad sanctitatem excitare, sanctosque ad sapientiam valent revocare. Has inquam omitto omnes, ne in magnum Volumen erumpat brevis hæc meditatio, eos solum ob oculos ponendo, quæ magis ad communem spectare vitam videntur. Atque hic primum Medici & Chirurghi ex hac scientia capiunt insignem utilitatem, quod jam in totius generis humani commodum scientiam suam possint exercere. Deteguntur enim hic multæ abditæ morborum causæ, quæ alias latuissent, imo facilius morbis prævenire, eosque citius & melius curare inde discitur. Sed non ad Medicos solum extendit sese ejus utilitas, imo etiam in Jurisprudencia nostra illa reperitur eximia. Cum ad unam omnes scientiæ vinculo quasi sint inter se conjunctæ, arctissimo certe conjunguntur Jurisprudencia & Medicina. Omitto enim causas criminales, ubi de morte violenta inquiritur vel suspecta, ubi non de lana caprina, sed de fama & vita certatur & ita merito *terribiles* nobis dicuntur. In his igitur necesse ocularis inspectio requiritur & quanto ornamento hic non est Jcto Anatomia scientia? confer. Excell. Dn. G. W. DETHARDINGII *Tr. utiliss. de Necessitate inspectionis Vulner. in Crimine homicidii*. Omitto causas matrimoniales, ubi vel de impotentia vel ad matrimonium inhabilitate quæstiones moventur. Omitto quæstiones de justo partus tempore, de ætate, de vitalitate foetus

tus e. f. p. quæ omnia ex Anatomia dijudicari optime possunt, Sic quoque eam Theologis, Philosophis & quibusvis aliis, quisque facile perspiciet utilissimam esse. Cum vero salus Reip. summa lex sit, utile non modo sed & necesse erit, publice ut Anatomia instituantur.

§. V.

NVM ANATOMIÆ SINT LICITÆ.

Infimi homines subsellii sæpe terribilem sibi de Anatomia solent formare conceptum, eam quam maxime illicitam putantes. Sed dum ne quidem quid sit licitum quidque illicitum sciunt, misericordia potius digni erunt quam injuriis adficiendi. Licitum nominamus id, quod nec præceptum nec prohibitum, sive ubi lex permissiva habet locum DARJES, *Jurispr. univers.* §. 156. Perfecte licitum id dicitur, quod nec jure divino nec humano prohibitum reperimus, imperfecte licitum quod jure quidem divino vetitum, sed jure humano non punitur. GROTIUS in *Jure B. & P. Lib. 3. Cap. 4. §. 2. in not.* Jam vero totum perlegas librum sacrum, nusquam tamen Anatomiam prohibitam invenies, nec prohibetur ista a legibus naturalibus, cum alias perfectiores nos reddere prohibere deberent. Pari quoque modo nulla ejus prohibitio adest in Legibus humanis, cum nimirum hæ omnes respiciant salutem Reip. §. IV. *i. f.* sed contrarium potius Experientia confirmat quotidiana. Ast pluribus hoc confirmare contra propositum erit, nec necesse præsertim cum jam SCHWEN- DENDOERFFER, de *Anatomia jure divino & humano licita* specialem dissertationem scripserit, ad quam benevolam lectorem remittimus.

§. VI.

DE EO, QVOD JUSTVM EST CIRCA CADAVERA.

Cadaver generaliter significare quodlibet corpus exanime jam in Scholis addiscere solemus Specialius ad Corpora brutorum quandoque restringitur. In jure vero nostro quoties vocabulum cadaveris occurrit, toties corpus humanum exanime

indicat. Atque in hoc significato nobis sumitur. Omittimus quoque differentiam, quæ alias inter funus, cadaver & corpus intercedit, & in ea paucis inquirimus tantum, quæ circa cada- vera in foro nostro justa sunt. Hæc quo distinctius percipi- antur, distinguimus inter Cadavera, quæ honeste sunt sepelienda, aut minus, ac de illis primo sumus acturi. Jurisprudencia no- stra nonmodo homines spectat vivos, sed & mortuos, & inde nondum cum morte finiri dici posset. ZIEGLER *de eo quod ju- stum est circa mortuos*. Mortui vero primum legitime sunt lugendi JACOBS. *in Diss. de Luctu*, ubi de hac materia uberius agitur. Sunt porro honeste sepeliendi. Atque hic circa sepulturam va- ria in Legibus invenimus disposita, videantur *Tituli in Dig. de mortuo inferendo, de religiosis & sumtibus funerum, de sepulchro viola- to, & alii*. Sepultura igitur sicuti olim summum habuit favo- rem, ita adhuc hodie habet jura sua specialia, ut celerrimæ sit expeditionis nullam appellationem admittens. B. BOEHMER. *in Jure Dig. Lib. 49. Tit. I. §. 16.* Sed hæc omnia relinquimus tantum quærentes justumne sit ejusmodi mortuum honeste sepe- liendum ad Anatomiam concedere? Minime vero. Competit potius hic propinquis, qui ita mortuum suum inferre injuste im- pediuntur non solum ad interesse actio in factum adversus im- pedientem, sed interdictum etiam illud possessorium, *ne vis fiat ei, qui mortuum suum inferre vult* BOEHMER. *cit. loc. Lib. XI. §. 1.* Sed numne de iis, qui unde efferri possint nullo modo relique- runt, per Leges in salutem totius Reip. ut ad Anatomiam conce- dantur, disponi possit. alia est quæstio. Quod quidem utique fieri posse arbitror, cum ob utilitatem publicam injuria haud fieri censeatur *L. 33. D. de injur. & fam. libell.* Et ita utilitas privato- rum communi bono postponenda est. Sunt porro Cadavera honeste sepelienda, quoque ab omni injuria fideliter defendenda. Huc spectat, quod qui ea spoliant, eruunt ac privata auctoritate extrahunt, qui ossuarium dejiciunt e. s. p. gravissime pro ratione circumstantiarum puniantur. Verum festinatio jam progredi jubet ad cadavera honesta sepultura indigna. Quod hæc non tantum favorem habeant jam facile, perspectu erit, attamen ni- hilo-

hilominus quoque hic quæ iusta sunt feruntur. Ufu venire
 proh! dolor Experientia comprobat, ut in figura hominum, bel-
 luarum feritas plectatur atque immanitas, imo quandoque pro
 in humanitatis gradu sufficere non videtur poena, quæ vivis istis
 monstris applicatur, sed & post mortem adhuc in eorum anim-
 advertitur cadavera. KLEIN *de Executione in cadavere delinquen-*
tis. Ac licet quidem proprie hæc puniri dici haud possint, cum
 nulla in iis amplius vel sensatio vel emendatio speretur, optime
 tamen ejusmodi Executiones permittuntur in reliquorum civi-
 um terrorem, nimirum ut hi ex aliorum exemplis capiant, sibi
 quod ex usu sit, ut igitur hæc pœnæ si non emendatrices certe
 exemplares vocentur. Ex quibus ratio apparebit, cur quædam
 cadavera inhonesta sepultura sive ignominiosa, quædam Canina
 sive Asinina, quædam nulla omnino putentur digna. Fit in-
 honesta sepultura absque omnibus solennitatibus & ceremoniis
 extra coemeterium vel prope marginem ejus. Qua dignos pu-
 tant e. g. Verbi divini Contemptores & Sacramentorum, blas-
 phemos, excommunicatos, hæreticos &c. Canina vero vel Asi-
 nina digni putantur ii, qui *αυτοχειριαν* committunt, in reatu
 moriuntur, & reliqui, quorum scilicet Cadavera postquam a Carni-
 fice per fenestras dejecta, vel sub limine domus extracta sunt se-
 peliri solent loco supplicii destinato. Quædam vero Cadavera
 profus relinquuntur inhumata nimirum suspenforum, rota pu-
 nitorum vel aliorum. Hæc vero qui spoliat, clam ex patibulo
 aufert, mutilat, vel in usus magicos adhibet, graviter punitur.
 Hisce adductis facillime dijudicabitur Illi, qui in suo territorio
 Summus est Imperans competere facultatem quoque circa Cada-
 vera Leges ferendi ac disponendi. Imperanti enim jus compe-
 tit semper publicum & commune promovendi bonum, hinc
 cum jus ad finem jus det ad media, competit ei quoque jus circa ea
 Leges ferendi, quibus securitas bonumque publicum promove-
 tur. Quare ei competit jus de Luctu & Sepultura Leges dandi,
 de sumptibus funerum disponendi, in eos, qui mortuos turbant,
 poenas constituendi, imo cadavera delinquentium adhuc exe-
 quendi

quendi, vel ea dispensandi, ad anatomiam concedendi, aliisve modis constituendi.

§. VII.

ANATOMIÆ PRINCIPIS CONSENSU ET
PERMISSIONE INSTITUANTUR
EST NECESSE.

Objectum Anatomiae primum esse corpus humanum ex §. II. elucet. Requiritur ergo necesse cadavera. Non autem quodlibet erit Cadaver ad hunc usum adhibendum, sed illud tantum, super quod secuta est a Principe s. Imperante concessio. Huic namque competere jus de Cadaveribus punitorum disponendi §. *antec.* dictum est, adeoque ei licet boni publici promovendi causa Cadaver ad Anatomiam concedere. Concessio autem hæc Principis est vel specialis, quando ad preces Dⁿ. Medicorum Cadaver aliquod petentium rescribit, vel generalis, ubi generales sanctiones constituuntur circa Cadavera ad Anatomiam tradenda. Solent tamen non indistincte omnia punitorum Cadavera concedi, sed solum eorum plerumque, qui inferioris fuerunt ordinis. Hinc CARPZOW. in *Quæst. Crimin.* P. 3. Qu. 137. nr. 72. sq. monet, quod hic in dignitatem & circumstantias personarum inquirendum sit. Confer. etiam CARRACH. in *Disp. de reatu non omnem dignitatem excludente* §. 13. Peti igitur a Principe Cadavera debent, non propria auctoritate vel clam tolli. Atque ita jam olim fuit apud Romanos observatum, ubi nemini propria auctoritate cadaver licebat tollere sublatumque sepelire, sed petenda sepultura erat. *conf.* BÖHMERI *jus digest. Tit. de cadaveribus punitorum.* Quin! & in sacris literis exemplum istud *Josephi ab Arimathia* recentinobis adhuc hæsitans memoria, quotidianaque dignissimum, hoc comprobatur satis. Quid igitur de eo tenendum putares esse, qui clam vel propria auctoritate cadaver aliquod tollere ad anatomiam auderet? Crimen sine dubio esset commissurus aliquod extraordinarium, indeque omnino arbitrariam incurreret pœnam. ZIEG-

nari-

LER de eo quod iustum est circa mortuos, Cap. 4. Th. 4. Quamvis enim hoc loco finis esse videatur tolerandus, iniustum tamen est ipsum factum, dum per illud haud parum jurisdictioni Magistratus detrahitur, cum absque hujus permisso impune auferre haud liceat *L. I. D. de Cadav. punitorum*. Sed quaeritur adhuc, numne quoque judici inferiori vel magistratui cadavera liceat ad Anatomiam concedere? Non regulariter ei licet, nisi a Principe fit haec facultas concessa. Consentiant nobiscum CARP-ZOW. in *defn. Eccles. Lib. II, Tit. 25. nr. 12.* ZIEGLER in *cit. Disp. d. 1. & WESENBECIUS in Paratit. L. 48. Tit. 24. i. f.*

§. VIII.

QUIBUSNAM ANATOMIA CONCEDATUR?

Accepimus §. VII. a quonam petatur Anatomiae licentia concedaturque, hocce igitur *Spho* cuinam concedatur paucis videbimus. Concedi autem eam solere scimus Dn. Professoribus Facultatis Medicæ. Hinc non indistincte patet exercitium anatomicum cuivis. Ex quo manifestum est extra Academiam nemini esse Anatomiam instituere permillum, etiamsi fit Doctor promotus qui id suscipiat. Ad privilegiatam enim Facultatem Medicam hæc spectat, ideoque est ad Academiam restricta, cui privilegia Universitatis jure regalium fuerunt concessa. Ubi vero in suo territorio habet nullam Academiam Princeps, ibi credo quod etiam vi suæ superioritatis aliis Medicis ad commune & publicum bonum cadavera dare in Anatomiam possit. Sed ponas, Medicum qui non est Facultatis membrum vel extra Academiam vivit hocce privilegium in Professorum Medicorum præjudicium sibi adsumere, quid tum erit iustum? Competit sine dubio istis hoc in casu in factum adversus turbantem actio, vel actio confessoria, quo se in suo jure singulari, sive privilegio fundant, illud contra turbantem asserunt, ideoque ut ille a turbatione desistat petunt. Quin & hic possessorie agi possit ex interdicto *Uti possidetis* nullum habet dubium, *confer. HEINECCIJ Elementa Jur Civ. Lib. 4. Tit. 15. §. 1302.* Extenditur

tur enim hocce Interdictum secundum usum fori ad quævis jura. Hinc, cum Dn. Professores Medici in possessione sint hujus privilegii five juris singularis, alter vero in ea eos velit turbare, optimo jure hoc interdicto agere licet adversus turbantem, ad id, ut a turbatione desistat, de eoque caveat, & præstet simul quod interest. Non alienum a proposito esse putamus hoc loco verba adducere Rescripti cujusdam Serenissimi Saxonix Electoris de an. 1624. ad Senat. Weissenfels. *vid.* CARP ZOW. in *Jurispr. Confist. Lib. II. Tit. 25. D. 411.*

(*verba Rescripti*: Was an uns unsre Medicinische Facultet zu Leipzig wegen Doctoris N. N. bey euch fürhabender Anatomî in Unterthänigkeit gelangen lassen, solches habt ihr aus den Beyschluß zu vernehmen. Weil aber solches sein Fürhaben gedachter unsrer Facultet nicht zum geringen præjuditz ihrer habenden privilegien, bey euch auch dem gemeinen Mann zur Uergerniß gereichet, zu deme die Barbierer-Gesellen daselbst wegen der Nähe dergleichen exercitia alle Jahr zu Leipzig mit ansehen können; als begehren wir hiemit gnädigst, Ihr wollet gedachtem Doctor N. N. solches sein vorhabendes Exercitium secandi extra Academiam abzustellen auferlegen ic.)

§. IX.

AD QVEM VSVM CONCEDANTVR CADAVERA

Hactenus quis concedat, itemque cui concedantur cadavera pertractavimus. Jam ad quid five ad quem usum hoc fiat erit despiciendum. Cum autem de fine Anatomix jam §. III. dixerimus, paucis, quæ dicenda adhuc forsitan erunt, attingemus. Finis ejus præter Gloriam Dei v. s. is est, ut rite cognoscatur Corporis nostri fabrica, ut exinde melior sanitatis cura haberi possit e. s. p. Ergo ad huncce finem & usum quæ spectant ea omnia sunt circa cadavera permissa & concessa. Cui namque conceditur finis, ei quoque media concedantur est necesse. Hinc licet Cadaver dissecare, cutem, pinguedinem, musculosque separare, situm intestinorum aliarumque partium internarum monstrare, venas, arterias cæterosque canales Corporis humani per-

vesti-

vestigare, ossa conjungere ut Sceleton inde formetur, & quæ sunt ejusmodi plura Dn. Medicis melius perspecta. Ad licitum igitur usum & honestum solum conceduntur Cadavera. Quam obrem illicitum eorum usum qui facit v.g. in usus magicos ea adhibendo, vel ludibrio aliorum exponendo, aliisve inhonestis modis tractando contra finem omnino & intentionem agit Concedentis, ideoque arbitrarie puniri poterit. Ex eodem liquet an licitum imo justum sit, Cadaver vel partem ejus quandam ex loco illo, ubi Sectio ejus perficitur, in proprium usum adhibendum vel aliam ad causam, vi aut clam subducere. Nullo modo, sed incurret potius ejusmodi Spoliator in poenas arbitrarias, quandoque pro ratione circumstantiarum gravissimas cum aperte contra Principis agat voluntatem. Quin? si restituere illud recuset, interdicta de exhibendo instituuntur, vel potius Mandata S. C. ad restituendum petuntur, quoniam iste versatur in facto nullo juris colore excusabili.

§. X.

AN ANATOMIA POENA DICI POSSIT?

QVA QVÆSTIONE RESOLVTA CONCLVDITVR:

Plus una vice ad aures meas pervenerunt vulgi hujusmodi loquelæ: fieri nullo modo posse justum ut sit hominem semel ad supplicium datum post mortem adhuc tam crudeli adficere poena, qualis esset Anatomia; imo quod mirandum quandoque sublimiores ita ratiocinantur. Sed errant isti facileque eos ab errore suo destitutos credo, dummodo accuratius paulo intueantur poenæ & Anatomix naturam. Est vero poena malum passionis, quod infligitur ob malum actionis ex sententia GROTHII in *Jure B. & P. L. II. Cap. 20. §. 1.* vel uti THOMASIVS in *Jurispr. div. L. 3. Cap. 7. n. 28.* sentit, est propositio mali seu dolor, quem propter delictum commissum infert Superior inferiori invito in emendationem tum delinquentis, tum totius Reip. Jam vero si ea, quæ §. II. ab initio §. III. & §. IX. de Anatomia sunt latius deducta, cum poena placet conferre, statim illam proprie saltim poenam dici haud mereri, exinde efficietur. Quem enim


V. S. = vide superius = sicla noster obui


✻ XX ✻

finem propositum poena habet ad Anatomiam accommodari iste nunquam poterit. Supplicium namque semel perpeffus delinquens amplius puniri nequit, cum morte tollatur poena, *L. 6, D. de Publ. Jud. § L. 20. i. f. D. de poenis*, nec regulariter in Cadavera scævendum erit, nisi atrocissimum fuerit crimen, ubi quandoque adhuc in detestationem nefandi facinoris, & in terrorem reliquorum permittitur in Cadavera animadversio §. VI. Porro spem emendationis in mortuo locum adhuc habere, nemo tam insulsus erit qui credat. Sic quoque nec in emendationem & terrorem aliorum ad Anatomiam conceduntur Cadavera, sed ad longe alium finem v. s. & fieri quamvis possit, ut alii ideo etiam a delictis deterreantur, quoniam sciant plerumque delinquentium Cadavera disseccari ita solere, id tamen solum per accidens fieret, & non hæc est principalis intentio concedentis. Quæ recte considerans non Anatomiam poenam nominabit: Quin? nec cadaveribus ulla inde attrahitur contumelia, sed id commodi, ut ita loquar, iis potius accedit, ut dissecata terræ mandentur, quæ vel in furca relinquerentur, aut alias inhumata vel in totum vel pro parte relicta, bestiis palam cibo essent. Attamen quanquam sic delinquentium Cadavera disseccanda non amplius puniuntur, tamen quilibet probus & honestus ab hocce genere sepulturæ abhorrens potius Summum illud Numen ardentibus implorabit precibus, ut ossibus suis apud suos honestam sepulturam concedere velit, id eoque omnes actiones suas Ei commendabit.


Hic subsistens quoque me Tuæ ulteriori gratiæ & providentiæ Benignissimum Numen integro corde commendo, & priusquam huic labori coronam impono gratias Tibi devotissimas ago pro præstita opera: Sis Tu quoque in posterum Protector meus sisque Director, Fiat semper in Nomine Tuò initium actionum mearum atque.

F I N I S.





the scale towards document



conjungere ut Sceleton inde formetur, & quæ sunt
 Dn. Medicis melius perspecta. Ad licitum igi-
 nestum solum conceduntur Cadavera. Quam
 eorum usum qui facit v.g. in usus magicos ea
 ludibrio aliorum exponendo, aliisque inhonestis
 contra finem omnino & intentionem agit Con-
 ue arbitrarie puniri poterit. Ex eodem liquet
 justum fit, Cadaver vel partem ejus quandam ex-
 ectio ejus perficitur, in proprium usum adhiben-
 d causam, vi aut clam subducere. Nullo modo,
 us ejusmodi Spoliator in poenas arbitrarias, quan-
 ne circumstantiarum gravissimas cum aperte con-
 t voluntatem. Quin? si restituere illud recu-
 e exhibendo instituantur, vel potius Mandata S.
 dum petuntur, quoniam iste versatur in facto
 e excusabili.

§. X.

NATOMIA POENA DICHI POSSIT?
 TIONE RESOLVTA CONCLVDITVR:

ice ad aures meas pervenerunt vulgi hujusmodi
 ullo modo posse justum ut sit hominem semel
 latum post mortem adhuc tam crudeli adficere
 let Anatomia; imo quod mirandum quandoque
 atiocinantur. Sed errant isti facileque eos aber-
 os credo, dummodo accuratius paulo intuean-
 tomia naturam. Est vero poena malum passio-
 gitur ob malum actionis ex sententia GROTHII
L. II. Cap. 20. §. 1. vel uti THOMASIVS in
Cap. 7. n. 28. sentit, est propositio mali seu do-
 er delictum commissum infert Superior inferiori
 ationem tum delinquentis, tum totius Reip. Jam
 . II. ab initio §. III. & §. IX. de Anatomia sunt la-
 am poena placet conferre, statim illam proprie-
 tici haud mereri, exinde efficietur. Quem enim
 C 2 finem